

causa et in throno sedentis». Sed, quoniam שָׁקֶל non solum pondus significat, sed etiam pretium, felicius tandem idem auctor post *Sanct.* suggerit, מִשְׁקָל verti posse *valor* seu *pretium*: pretium quippe in statera appendebatur. Iam unius talenti aurei seu 168,750 fr. pretium pro diademate aureo, geminis orato non videtur nimium. Adde quod aestimatio sit approximativa et hinc, quod fere fit, potius immoderata.

«*Sed et praedam civitatis asportavit multam valde*»; v. 31 «*populum quoque eius adducens serravit, et circumegit super eos ferrata carpenta, divisitque cultris, et traduxit in typo laterum. Sic fecit universis civitatibus filiorum Ammon, et reversus est David et omnis exercitus in Ierusalem*». Noli tamen existimare, in omnem Ammonitarum nationem animadversum esse tam crudeliter. Agitur de viris armatis, in civitatibus munitis reprehensive, iisque verisimiliter nequaquam universis, cf. 8, 2. Item recole atrocitates ab Ammonitis in Israelitas pridem commissas 1 Reg. 11, 2, cf. etiam Am. 1, 13: «eo quod dissecuit (Ammon) praegnantem Galaad». (*Theodoret.*) Perperam tandem *Houb.* opinatur, omnia et singula tormenta in singulos esse adhibita; quin imo alia in alios. Iam si David nonnisi eas poenas Ammonitis inflixit, quas ipsi priores Hebraeis intulissent (*Calm.*), legem V. T. implevit «oculum pro oculo etc.» (Lev. 24, 20). Denique cum *Sanct.* advertet, has poenas Davidem egessisse, quo tempore a peccato nondum respiciatur.

Hebr. וִישַׁם et *posuit*, 1 Par. 20, 3 וִישַׁר 3 *serravit*, quas lectiones componit *Wéllh.* in וִישַׁר, et *serravit eos*, derivandum a נָשַׁר, *Chald. Syr.* נָסַר, quibus in linguis serrandi sensum habet. In sequentibus *Vulg.* paraphrasi quadam utitur; *Hebr.* serravit eos *serris*, *tribulis ferreis* et *cultris (?) ferreis*. כִּנְרָה (cf. 3 Reg. 7, 9) etiam *LXX Chald.* vertunt *serra*. חֵרֶץ (cf. 1 Reg. 17, 18) a חָרַץ *secare*; *LXX Chald.* intelligunt *tribulum*, quae erat trabs acutis lapidibus instructa ad excutiendas spicas; *carpenta (Vulg.)* ad eundem sensum potest revocari, ut sit genus quoddam currus; spicas excutiendis inserviens. כִּנְרָה, quod mendose 1 Par. scribitur כִּנְרָה, certe est instrumentum secans, *Vulg. cultris*, *LXX* σιδηροκόρυμβοι, *Chald. securibus* (cf. 4 Reg. 6, 4). *Syr.* horrore eius carnificinae percussus, satius duxit Ammonitas compedibus atque catenis vincire. In *typo laterum*: *LXX* ἐν τῷ τύπῳ, videntur cum *Vulg.* sentire, Ammonitas esse concitos in fornaces coquendis lateribus destinatas; *Chald. raptavit eos per plateas*; *Syr. traduxit eos per mensuram (?)*. Cum בִּלְיָב secus nonnisi Ier. 43, 9 et Nah. 3, 14 legatur neque ibi consentiant versiones, rem in medio relinquimus.

3) Davidis peccati sequelae 2 Reg. 13, 1-20, 16.

a. Iteritus Ammon 2 Reg. 13, 1-14, 33.

ARG. — Ammon primogenitus, sororem Thamar deperiens, simulata aegritudine puellam in cubiculum pellicit atque opprimit, oppressam

foede eiicit. Biennio post ab Absalome eiusdem fratre ad convivium vocatus interficitur. Absalom triennio exulatur. Tum Ioab accessit mulierem sapientem Thecutidem, quae adhibita parabola regi supplicatur, ut filium fratris occisorem vindictae consanguineorum subtrahat. Rex petitis mulieris cum iuramento assentitur, mox perspecta parabola Absalomi redeundi veniam concedit, biennio post eundem ad aulam iterum adsciscit.

Nota, quam similia patris sceleribus commiserint Davidis filii. Peccaverat David violata coniugata, Ammon peccat violata virgine sorore: peccaverat David interempto viro omnino innocente Uria, Absalom peccat occiso Ammon fratre, sororis stupratore. Unde explicatur Davidis in filios lenitas, qui ab Amnone reprehendendo 13, 21 abstinerit, Absalomi post quinquennium plene sit reconciliatus.

Cap. XIII v. 1 «*Factum est autem post haec, ut Absalom, filii David, sororem speciosissimam, vocabulo Thamar, adanaret Ammon, filius David*», v. 2 «*et deperiret eam valde, ita ut propter amorem eius aegrotaret, quia, cum esset virgo, difficile ei videbatur, ut quippiam inhoneste ageret eum ea*». Recte *Vulg.* subordinat sententiae membra, in *Hebr.* coordinata; recte supplet *inhoneste*. Sed quaenam in virginitate difficultas? Responde cum *Vatobl.*, Sa aliusque, difficultatem in eo fuisse, quod virgines arctius custodirentur. *Then.* difficultatem collocat in virginitatis modestia: ast virginitatis modestiam iuvenis lascivus vix non semper imaginatur facili ope posse superari.

Hebr. et angustum factum est Ammoni usque eo, ut aegrotum se faceret propter Thamar, sororem suam הִתְרַחֵק significat *aegrotum se facere*, et quidem h. l. intelligitur de vera, v. 5 sq. de ficta solum aegritudine. At quomodo v. 5 sq. Ammon se fingit aegrotum, qui v. 2 affirmatur fuisse vero aegrotus? Finxit se magis aegrotum, quam reipsa erat. Pulchre h. l. *Sanct.* in effectus insanii amoris invehitur.

v. 3 «*Erat autem Ammon amicus nomine Ionadab, filius Semmaa fratris David, vir prudens valde*». Cf. 1 Reg. 16, 9. v. 4 «*Qui dixit ad eum: Quare sic attenuaris macie, fili regis, per singulos dies? cur non indicas mihi?*» Sane *filium regis* omnium minime decebat deperire, qui omnibus afflueret, ad omnia pertingeret. — *Hebr. mane et mane. Then.* affirmat, mane vel maxime observari morbi effectus: sed febriliter laborantes utique vespere magis afficiuntur. Videtur Ionadab filium regis singulis diebus mane convenisse, et hinc progressum infirmitatis de mane in mane observasse. — Respondet iam Ammon abrupta locutione, omisso גַּי. «*Dixitque ei Ammon: Thamar, sororem fratris mei Absalom, amo*». v. 5 «*Cui respondit Ionadab: Cuba super lectulum tuum, et languorem simula, cumque venerit pater tuus, ut visitet te, dic ei: Veniat, oro, Thamar soror mea, ut det mihi cibum, et faciat*

pulmentum, ut comedam de manu eius. Reliqui ut videam et comedam. Ubi *Vulg. pulmentum*, ibi *Hebr.* repetit vocem *cibus*. Primum ponitur generalis petitio *cibet me*, dein singula, quae in ea includuntur cibatione, enumerantur: cibi praeparatio, inspectio, comestio. Aegroti quandoque valde sunt fastidiosi respectu qualitatis et apparentiae eius, quem sumunt, cibi; quare etiam petitio, ut Thamar adesset, admiratione carebat. — David adulterio intruserat se in alienam familiam, puniendus iam est malis suscitandis 12, 11 « de domo sua »; hinc ipse fratris filius Ionadab eius filio fit stupri auctor (*Duguet*). v. 6 « *Accubuit itaque Amnon et quasi aegrotare coepit; cumque venisset rex ad visitandum eum, ait Amnon ad regem: Veniat, obsecro, Thamar soror mea, ut faciat in oculis meis duas sorbitunculas, et cibum capiam de manu eius* ». « Nauseam ciborum omnium simulavit » (*Calm.*).

Quod genus cibi sint לבבות, disquiritur. Et primum v. 8 sq. attende rei praeparationem. Farinae massa seu conspersio depicitur (ליש Gen. 18, 6), postea coquitur (בשל Ex. 16, 23): sed inter utranque operationem intercedit tertia, expressa verbo לבב, denominativo a לבבות. Coquitur autem in sartagine (בשררת, cf. *Chald.*) atque ex ea effunditur. Iam illa operatio לבב, inter dependendam et coquendum media, alia vix esse potest, quam quae rem in propriam formam et figuram redigat. Unde infero לבבות non esse *sorbitunculas* (*Vulg.*), si eae esse aliquod liquidum intelligantur. Ubi tamen advertatur nota codicis M (apud Vere.): « Sorbitunculas vocat chandellos, qui de farina vel de amygdalis fiunt, a sorbendo i. e. hauriendo, ut vulgo dicitur ». LXX בבלונוגלוס *Chald.* הלויסא conspersio. Fürst intelligit « convolutos », genus quoddam operis pistorii tenue et convolutum. Ges. « Pflannekuchen », « pancake », a לבב pinguem esse. *Mal.* vocem derivat a לב cor, quod cor reficiant et roborent, vel quod cordis figuram expriment. Sola etymologia duce eiusmodi dubium vix plene elucidari poterit.

v. 7 « *Misit ergo David ad Thamar domum, dicens: Veni in domum Amnon, fratris tui, et fac ei pulmentum* », *Hebr. cibum*. Intelligitur domus regia: hinc patet, filios regis separatas a palatio aedes incoluisse (*Duguet*). v. 8 « *Venitque Thamar in domum Amnon fratris sui, ille autem iacebat; quae tollens farinam* » conspersam Ex. 12, 34. 39 « *miscuit* », i. e. depisit, « *et liquefaciens in oculis eius coxit* » (בשל de carne praedicatur Ex. 29, 31; 23, 19, de arte culinaria generatim Ez. 46, 24, differt a verbo pinsendi אפה) « *sorbitunculas* ». v. 9 « *Tollensque quod coxerat, effudit (et posuit) coram eo. Et noluit comedere dixitque Amnon: Eicite universos a me* ». Primum videtur ipsa cibum obtulisse per manus virorum. *Ios.* censet Amnonem praetendisse, velle se a strepitu remotum quiescere. « *Cumque eiecissent omnes* », v. 10 « *dixit Amnon ad Thamar: Infer cibum in conclave, ut vescar de manu tua. Tulit ergo Thamar sorbitunculas, quas fecerat, et intulit ad Amnon fratrem suum in conclave* ». v. 11 « *Cumque obtulisset ei cibum, apprehendit*

eam, et ait: Veni, cuba mecum, soror mea ». v. 12 « *Quae respondit ei: Noli, frater mi, noli opprimere me, neque enim hoc fas est in Israel. Noli facere stultitiam hanc* ». Cf. vetitum congregiendi cum sorore Lev. 18, 9. 11; 20, 17, et nota verba 18, 3. 24: « *Iuxta consuetudinem (במשנה) terrae Aegypti, in qua habitastis, non facietis: et iuxta morem regionis Chanaan, ad quam ego introducturus sum vos, non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis. . . Nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatae sunt universae gentes, quas ego eiciam ante conspectum vestrum* ». Repetitio negationum firmitatem resistantiae exprimit. Ostendit *Duguet*, quomodo Thamar omne genus argumentorum exhausta: fratris nomen appellat, quod ipsam sceleris immunitatem exprimit; Dei legem et gentis mores commemorat; suo ostenso opprobrio commiserationem elicere studet, infamiam eius, cui regnum quondam debeatur, exaggerat; ostensa connubii spe praesentem passionis aestum eludere studet.

v. 13 « *Ego enim ferre non potero opprobrium meum, et tueris quasi unus de insipientibus in Israel. Quin potius loquere ad regem, et non negabit me tibi* ». *Hebr.* Quo feram? ubi abscondam? בלל insipientiam simul et impietatem sonat, duplex igitur opprobrium filio regis penitus indignum. Opprobrium tam sibi quam illi impendens demonstrat puelle. Quo cum neque moveretur frater, ultimum tentat argumentum, verbis se ad veri nominis coniugium paratam professa.

Quomodo tale quid suggere re potuit, lege fratrum cum sororibus coniugia prohibente? Acceptata est vix non ab omnibus interpretibus *Iosephi* solutio, voluisse puellam tantum, oblata connubii spe, impuros fratris conatus eludere. Alii suggerunt, eam legis ignaram esse potuisse, «*utpote matre nata gentilis*» (*Sanct.*), aut animo perturbato eiusdem immemorem. *Grotius* suspicatur, puellam iuris minime peritam regi ius quoddam dispensandi attribuisse. Verum solutio primo loco posita abunde sufficit, ad refutandam rationalistarum aegam, ex verbis Thamar inferentium, Mosaicae prohibitiones fuisse aevo Davidico ignotas, idque eodem posteriores. Imo contrarium confirmat tota agendi ratio Amnonis et Ionadab, qui certe tanto circuitu illud prosecuti non fuissent, quod recto itinere poterat obtineri; Davidis et Absalom, qui de connubio post stuprum ne verbum quidem fecisse videntur; ipsius tandem Thamar, quae, quantum possibilitas coniugii relinqueretur, utique ignominiam non propalasset (cf. v. 18-20).

v. 14 « *Noluit autem acquiescere precibus eius, sed praevalens viribus oppressit eam, et cubavit cum ea* ». v. 15 « *Et exosam eam habuit Amnon odio magno nimis, ita ut maius esset odium, quo oderat eam, amore, quo ante dilexerat* ». Factum mirae psychologicae veritatis: persaepe libido transit in odium. « *Dixitque ei Amnon: Surge, et vade* ». Copulam ignorat *hebr.*, nervosius. v. 16 « *Quae respondit ei: Maius est hoc*

travit (*Verc.*). Sed reapse probabile est, textum primitus explicasse, cur David Ammonem non punierit. Num constupratae filiae narratio apte concluditur brevissima animadversione, patrem regem contristatum esse valde? « *Et noluit contristare spiritum Amnon filii sui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei* ». « Cum David in eodem genere gravissime peccasset, verecundatus est exprobrare filio flagitium » (*Sanct.*). Non inflixit poenam mortis (Lev. 18, 9, 29), memor proprii, qua illam promeruisset quondam, peccati. Debit autem saltem illum reprehendere, reparationem quamdam pro Thamar urgere, filium ad tempus ab aula relegare. Fuit autem etiam secus David in filios indulgentior (cf. 3 Reg. 1, 6). v. 22 « *Porro non est locutus Absalom ad Amnon nec malum nec bonum; oderat enim Absalom Amnon, eo quod violasset Thamar sororem suam* ». Hic versus intime cum praecedenti cohaeret, quo etiam David siluisse dicebatur. Silebat Absalom, ut securus odium celaret.

v. 23-35 Absalomis vindicta narratur. v. 23 « *Factum est autem post tempus biennii* », — *Hebr. post biennium dierum*, cf. 14, 28; Gen. 41, 1; Ier. 28, 3, 11 — « *ut tonderentur oves Absalom in Baalhasor, quae est iuxta Ephraim* ». Festiva erat ea occasio, cf. 1 Reg. 23, 4. Ephraim videtur intelligi urbs quaedam seu vicus Ephraim, nam tribus, mons, silva non ita sine addito introduci solent. Putant esse urbem Ephrem Io. 4, 54, et hanc esse eandem atque Ἀρζίρεμα 1 Mach. 11, 34. Ceterum res est omnino incerta. — Tandiu siluit Absalom, ut iniuriae sororis incurius et immemor videretur, et invitatio Absalomis adscriberetur desiderio reconciliationis. « *Et vocavit Absalom omnes filios regis* », v. 24 « *venitque ad regem, et ait ad eum: Ecce tondentur oves servi tui; veniat, oro, rex cum servis suis ad servum suum* ». Videtur Absalom praenovisse, regem ad eiusmodi festum non esse venturum: vix enim praesente rege ausus esset Ammonem interficere. Vel fortasse eiusmodi invitatio singulis annis locum habebat, regisque absentia primum suggestit Absalomi, opportunitatem dari interimendi fratris. Certe Amnon omnino securus venit (cf. v. 28), quod in re singulis annis recurrente etiam facilius explicatur. v. 25 « *Dixitque rex ad Absalom: Noli, fili mi, noli rogare, ut veniamus omnes, et gravemus te. Cum autem cogeret eum, et nolisset ire, benedixit ei* ». Nota, urbanitatis in oriente partes esse, invitationem non illico acceptare, declinatam iterum atque iterum urgere. *Benedixit ei*, i. e. « bene precatus est illi » (*Malv.*), seu « laetam festivitatem apprecatus est » (*Keil*). Quam benedictionem Absalom interpretatus est expressionem firmi consilii non veniendi. v. 26 « *Et ait Absalom: Si non vis venire, veniat, obsecro, nobiscum saltem Amnon frater meus. Dixitque ad eum rex: Non est necesse, ut va-*

dat tecum ». « De Amnone quaerit, tamquam inter filios regis natu maiore » (*Calm.*). Fortasse rex nolebat, ut Amnon se crederet Absalomi, saltem se absente; aut solum more orientalium invitationi noluit illico assentiri.

Hebr. Et non: veniat, quaeo etc., i. e. Et si tu non venis, veniat etc. Eandem constructionem observa Iud. 6, 13; 1 Reg. 5, 17; 10, 15.

v. 27 « *Coegit itaque Absalom eum; et dimisit cum eo Amnon et universos filios regis* ». Sequens sententia ex LXX in *Vulg.* penetravit (*Verc.*): « *Feceratque Absalom convivium quasi convivium regis* »; tam lautum, quale pro ipso rege parari solebat, abundantia et excellentia tam cibi quam potus insigne. v. 28 « *Praeceperat autem Absalom pueris suis, dicens: Observate; cum temulentus fuerit Amnon vino, et dixerit vobis, (Jos. « nutu significavero ») « percutite eum » — pro eum reliqui Ammonem: nomen erat exprimendum, ne ceteri regis filii periculo exponerentur — « et interfecite; nolite timere: ego enim sum, qui praecipio vobis »; ego pro facto respondebo, vel etiam: is ego sum, qui vos a quoquam defendere queam; « roboramini, et estote viri fortes ». Temulentus. — Jos. de suo addit « somno oppressus », sed *Hebr.* tantum habet *cum bonum fuerit cor*, quod *Chald. Syr.* interpretantur: *cum hilare factum fuerit cor*. Recte *Sanct.* advertit, vix aliam praeter eiusmodi hilaritatem « temulentiam » potuisse Absalomem certo in Amnone praesagire: accesserat is fortasse cum aliqua diffidentia, sed bonum vinum expellit timorem. — Verba *Percutite eum etc.* non sunt verba ab Absalome in convivio dicenda, sed apodosis sententiae. — v. 29 « *Fecerunt ergo pueri Absalom adversum Amnon, sicut praeceperat eis Absalom. Surgentesque omnes filii regis, ascenderunt singuli mulas suas et fugerunt* ». v. 30 « *Cumque adhuc pergerent in itinere, fama pervenit ad David, dicens: Percussit Absalom omnes filios regis, et non remansit ex eis saltem unus* ». v. 31 « *Surrexit itaque rex, et scidit vestimenta sua, et cecidit super terram, et omnes servi illius, qui assiscebant ei, sciderunt vestimenta sua* ». *Hebr. Chald. Syr.* pro קרי legentibus participium קרי, ergo *stabant scissis vestibus*. Cf. 1 Reg. 22, 7. — v. 32 « *Respondens autem Ionadab, filius Semmaa fratris David* » (cf. v. 3), « *dixit: Ne aestimet dominus meus rex, quod omnes pueri filii regis occisi sint: Amnon solus mortuus est, quoniam in ore Absalom erat positus ex die, qua oppressit Thamar sororem eius* ».*

Ita *Vulg. LXX*; sed *positus* non respondet voci *hebr.*, quae est feminina. *Kethib* שׁוּיבָה posset esse ἀναστρέψων, correspondens Syro כּוּבַח *propositum*. *Chald.* כּוּבַח *insidiae*. *Keri* שׁוּיבָה potest esse partic. fem. kal, et cf. v. 33 expressionem לֹב עַל לֵב,

sibi aliquid cordi sumere; unde nostra expressio posset habere sensum: aliquid in ore sumere vel habere, propositum habere. *Then., Wellh.*: ore exprimere; quae prima fronte exposito pugnat cum v. 22, ubi dicitur Absalom omne indignationis signum suppressisse; sed potuit loquidam quaedam signa a se percepta praetendere, quia nobilitate interni consilii se conscium fateri. *Aq., Symm.* פני ב' falso legebant פה. Ceterum, quidquid sit legendum, sensus sufficienter patet.

v. 33 « *Nunc ergo ne ponat dominus meus rex super cor suum verbum istud, dicens: Omnes filii regis occisi sunt: quoniam Amnon solus mortuus est* ». v. 34 « *Fugit autem Absalom; et elevavit puer speculator oculos suos, et ecce populus multus veniebat per iter devium ex latere montis* ».

Verba *Fugit autem Absalom* in omnibus exstant textibus: perperam igitur ea delet *Wellh.*, quasi narrationem fugae v. 37 anticipet. S. auctor revertitur ad narrationem eorum, quae post Annonis necem in Baalhasor acta sunt, fugae Absalom in Gessur, convivarum Hierosolymam; v. 37 historiam fugae et reconciliationis Absalom in extenso narrare aggreditur. — Lectio אהרן ברך confirmatur LXX ἁγιωτάτων ἀπόστολων, *Chald.* de post eum; *Syr.* omittit, *Valg.* quomodo verterit per iter devium, non perspicitur. Expressio ex Iob 23, 8 et Is. 9, 12 (11) indubie significat per iter ad occidentem ipsius, quod non est plane idem, atque iter ad occidentem Ierusalem, pendet quippe nonnihil a loco, ubi consistebat puer. Imvero LXX h. l. integram inserit sententiam, quae ob similitudinem cum praecedentibus facile potuit excidere, ideoque genuina est reputanda. Et quidem praecedentem sententiam conclusit addita voce ἐν παραβάσει, in descensu, qua accuratius describitur via appropinquantium: descendebant quippe a latere montis, qui occidentem versus prominebat. Dein legunt: καὶ παραβήσαντο ὁ ἄβυθος καὶ ἀπέφθικεν τὸ πνεῦμα καὶ ἔθανεν ἄνδρας; ἕσπερος δὲ ἦν, ὅσοι δὲ ἤσαν ἐκ πύσσου; τὸν ὄρειον; El venit speculator et nuntiavit regi et dixit: Homines video de via Oronin, ex latere montis. ὄρειον videtur esse Bethoron, cf. 1 Reg. 13, 18, quae Ios. 10, 10 sq. legitur ὄρειον, iterque illuc revera vergit medium inter occidentem et septentrionem. Ibidem sermo est de בורר בית הורר, descensu Bethoron, אגזאגזא; cui opponitur ב' בעלה ב', ascensu Bethoron, ἐπιβήσασα. Non autem possumus concedere *Wellh.*, in prioribus אהרן ברך corruptum esse ex הרינים, cum nulla sit ratio corruptionis supponendae, utraque expressio possit esse vera, Bethoron hebraice nunquam sine praefixo בית legatur. Difficultatem parit, quod *latus montis* modo reddatur per ἐκ παραβάσει, modo per ἐκ ἕσπερος, cum idem interpres eandem expressionem his eodem verso recurrentem non reddidit diversis duabus diversis ex pressionibus (*Wellh.*). Sed num ea diversitas non potuit exstare iam in ipso originali hebraico, cuius nunc altera pars interit? Neque hic igitur textum LXX corrigere audeamus.

v. 35 « *Dixit autem Ionadab ad regem: Ecce filii regis adsunt; iuxta verbum servi tui, sic factum est* ». v. 36 « *Cumque cessasset loqui, apparuerunt et filii regis, et intrantes levaverunt vocem suam et fleverunt, sed et rex et omnes servi eius fleverunt ploratu magno nimis* ». Finge in his omnibus Davidis angorem et dolorem, qui plenum sensum divinarum minarum 12, 10 sq. in se directarum nondum perspiceret, neque, quis eius successor futurus esset, tum iam nosset, sed intimo af-

fectu filio primogenito adhaereret. Iam hunc cernit similis ei, quod ipse admiserat, sceleris reum: en « malum de domo sua ». Abhinc formidat « gladium », post biennium gladius primogenitum transverberat, simul patrem altero filio exule orbans ad tempus. Num his divinae exhauriantur minae? Id sperat pater paulatimque filio exuli, nunc natu maximo et haeredi naturali reconciliatur. Incassum! mox ab hoc ipso filio proccidit « malum », donec ipse « gladio » concidit transverberatus.

Reconciliatio Absalom tribus veluti gressibus absolvitur. 13, 37-39 describitur exul a terra sancta, 14, 1-27 exul ab aula, 14, 28-33 in aulam receptus. — v. 37 « Porro Absalom fugiens abiit ad Tholmai, filium Ammiud, regem Gessur » (cf. 3, 3). « *Luxit ergo David filium suum cunctis diebus* ». v. 38 « *Absalom autem, cum fuisset et venisset in Gessur, fuit ibi tribus annis* ». v. 39 « *Cessavitque rex David persequi Absalom, eo quod consolatus esset super Amnon interitu* ». Primum plura tentavit rex, ut Absalome potiretur; fortasse ut traderetur, a Tholmai postulavit; postea ab eiusmodi temperavit.

Tholmai erat Absalomis avus maternus. Ammiud cum *Valg.* legunt *keri, kethib* quoad « melioris notae codices » (*Rossi*), LXX *Syr.*, dum *kethib* receptum et *Chald.* legunt Ammiud. — *Cunctis diebus*, supple, quibus protraxit luctum. Locutionis hoc est genus non ita logicum, sed Hebraeis familiare. Ex v. 39 patet, non cunctis vitae diebus Davidem luxisse. Bene quoad sensum *Syr.*: *El permansit in luctu filii multis diebus*; ceterum *Rossi* recenset codices qualitor, *ב' ג' ד' ה'* legentes ימים רבים. — Ter v. 34, 37, 38 habetur mentio fugae Absalom, quam uno alterove loco expungunt recentiores aliqui: a quo, textibus omnibus consentientibus abstinemus. Potuit quandoque auctor inspiratus minus concinne loqui. — *Cessavit*: *Valg.* LXX *Syr.* legebant ירבל, *Chald.* desideravit anima regis David egredi ad Absalom, quod explicat *Arabs*: voluitque egredi quaesitum *ewn*; quae versiones ortae videntur ex studio explicandae formae ורבל (*וּרְבֵל* punctatae ורבל), cui verbo ex significatione cessandi altera derivatur desiderio consumi. Dein, quod verbum esset generis feminiini, inseruerunt *Chald.* נפש, *Arabs* רב, quae voces genus femininum admiunt.

Cap. XIV v. 1 « *Intelligens autem Ioab, filius Sarviae, quod cor regis versum esset ad Absalom* ». v. 2 « *misit Thecumm et tulit inde mulierem sapientem, dixitque ad eum: Lugere te simula, et induere veste lugubri, et ne ungaris oleo, ut sis quasi mulier iam plurimo tempore lugens mortuum* »; v. 3 « *et ingredieris ad regem, et loqueris ad eum sermones huiusmodi. Posuit autem Ioab verba in ore eius* ». « Videtur Ioab toto tempore, quo extorris a patria vixit apud avum Absalom, de illius restitutione et revocanda gratia fuisse sollicitus. Quare in eam curam intentus omnem captabat occasionem, quae illi ad regis leniendum animum aditum aperiret » (*Sanct.*). Praevidebat Ioab Absalomem patri reconciliatum iri aliquando, eundemque regni successorem futurum concitabat: igitur, qua erat ambitio, totus iam ei uno stude-

bat, ut de ipso melius ceteris omnibus mereretur. — *Thecua* civitas tribus Iuda 2 Par. 11, 5 sq., prope aliquod desertum sita 1 Mach. 9, 33, haud longe ab Herodio (Ios. Bell. Iud. IV, 9, 3), patria Amos prophetae 1, 1, nunc Tekua, duarum horarum itinere a Bethlehem distans, meridiem versus. Utrum Thecua, sicut Abela 20, 18, celebris fuerit ob sapientiam incolarum et speciatim mulierum, ignoramus. Fortasse haec una ibi mulier eminebat. Cuius sapientia non erat divinae inspirationis, sed dexteritas quaedam in rebus agendis et difficultatibus enodandis. Adhibita est Thecutis, « quia narrare debebat aliquid obscurum et incognitum regi; si autem fuisset Hierosolymitana, quae tale quid narasset, potuisset statim refelli a rege » (Est.).

Versum esset ad Absalom: recte *Vulg. Syr.* pro לך intelligunt vel legerunt לך, quae voces facillime commutantur inter se. *Keil* defendit verendum esse *contra*, לך; si enim cor regis *versum* esset ad Absalom, quid opus erat advocare mulierem sapientem? Respondeas, intellexisse Iob aliquam cordis David ad Absalom inclinationem, eamque fovisse advocata muliere, quae ne ipsa quidem omne in praesenti tulit punctum, cum rex filium utique revocaverit, sed v. 28 biennio a sui alloquio auerit. — Curram Iob non ea omnia dixit ipse? Videtur nondum certus fuisse, idque iure merito (cf. 3 Reg. 2, 5), de regis gratia recuperata; hinc 12, 28 honorem captivae Rabbath Davidi detulerat, hinc verba 14, 22.

v. 4 « *Itaque, cum ingressa fuisset mulier Thecutis ad regem, cecidit coram eo super terram, et adoravit, et dixit: Serva me, rex!* » « Familiaris et quasi legitima formula, qua ab aliquo ius nostrum obtinere volumus » (Sanct.).

Ingressa, ורבה: ita *versiones*, *heri* et multorum codicum *kethib*, contra *kethib* receptum et *Chald.* ותאמר: quam lectionem frustra *Keil* tamquam hysteronproteron tueri conatur. — *Serva me*: « me » addunt *Vulg. Syr.*, quod *Tir.* ortum putat ex addita primitus particula deprecatoria אַתּ, ut mulier usa sit salutatione Hosanna. Legunt LXX *Serva, rex, serva*, qua repetitione *Then. Wellh.* in oratione affectum vehementem simulante delectantur.

v. 5 « *Et ait ad eam rex: Quid causae habes? Quae respondit: Heu, mulier vidua ego sum, mortuus est enim vir meus* ». v. 6 « *Et ancillae tuae erant duo filii, qui rixati sunt adversum se in agro, nullusque erat, qui eos prohibere posset, et percussit alter alterum, et interfecit eum* ». v. 7 « *Et ecce consurgens universa cognatio adversum ancillam tuam, dicit: Trade eum, qui percussit fratrem suum, ut occidamus eum pro anima fratris sui, quem interfecit, et deleamus haeredem. Et quaerunt extinguere scintillam meam, quae relicta est, ut non supersit viro meo nomen et reliquiae super terram* ». De cognatione cf. 1 Reg. 10, 21. « Qui illam litem noluerant dirimere, nunc congregati petunt, ut sibi alter tradatur.... Quibus tacite significabat regem, qui neque Annonem

castigasset, neque Absalomis moerorem alleviasset » (*Thedoret.*). — *Hebr. et deleamus insuper haeredem*, אַתּ indicat, novam introduci ideam. Cognati non solum volebant legem talionis implere, sed insuper et praecipue agebantur motivo proprii lucri: extincto quippe proximo haerede, haereditas ad cognatos descendebat, cf. Num. 27, 9 sqq. Certe ii, quibus proximum erat ius, supponuntur reliquam cognationem incitasse; vel dici potest expressio *universa cognatio*, uti eiusmodi expressiones passim, non esse omnino literaliter sumenda. Verba *et deleamus haeredem* non sane supponi possunt a cognatis esse publice pronuntiata; unde *Syr.* recte ad sensum vertit *et delere volunt haeredem*; mulier vero, fictitio affectu abrepta, ea ex ore ipsorum cognatorum refert (*Calm.*). — *Scintillam meam, quae relicta est* intellige carbonem ultimum igniscentem, unicum spem resuscitandi ignis (*Sanct., Lap.*); similem imaginem habes 21, 17. « Cum unicus supersit tamquam pruna residua in mediis cineribus et luctuosis familiae meae reliquis, potius ferendus quam exstinguendus est » (*Malv.*) v. 8 « *Et ait rex ad mulierem: Vade in domum tuam, et ego iubebo pro te* ». *Hebr.* et *versiones* rectius de te, nondum enim rex pro muliere decernit, sed potius inquisitionem promittit; quae est causa, cur mulier his non contenta loqui pergat, donec v. 11 rex dicat: « Non cadet de capillis filii tui super terram »; et tunc tandem mulier ad applicationem parabolae gressum facit. v. 9 « *Dixitque mulier Thecutis ad regem: In me, domine mi rex, sit iniquitas et in domum patris mei: rex autem et thronus eius sit innocens* ». Intelligitur iniquitas non puniti, si quod sit, filii sceleris.

Iniquitas h. l., uti 1 Reg. 23, 24, proxime intelligitur reatus, non culpae sed poenae: quomodo enim reatus culpae domum etiam patris afficere potest? Sed quaenam iniquitas intelligitur? Num sola iniquitas occisi filii? At haec poenas solum fratrem est aut eius domum, certe non poenas domum matris, et multo minus poenas regem. Ergo intelligitur iniquitas non interficiendi occisorem (*Mar.*). « Si religio aliqua regem absterret, ne hoc filio meo condonet, existimatque placandam sibi esse interfectoris sanguine iustitiam et sanguinem interfecti a se fratris; si metuit, ne in caput suum totumque regnum ultionem caedis huius provocet; totam in me summo peccati huius culpam et poenam. Puniat Deus in me crimen, cuius veniam a te postulo ». Sed quorsum haec? « Quia a rege sibi mulier cavere vult, interposita *iuris iurandi* religione, ne quid a cognatis accidat adversi » (*Sanct.*, cf. *Calm.*). Mulier omnino vult, interposita iuramento religione, filii, cuius effugit infortunium, vitam impetrare. Hinc, quisquis tandem et regis mente fuerit verborum v. 8 sensus, simulat se illa de sola inquisitionis promissione intelligere, atque putare regem quodam legis talionis tuendae serupulo teneri. Ita sane rex intellexit.

v. 10 « *Et ait rex: Qui contraxerit tibi, adduc eum ad me, et ultra*

non addet, ut tangat te ». Tangit matrem, qui adoritur filium: plus igitur iam concedit rex quam causae inquisitionem, ipsam filii incolunitatem promittit.

Pro qui LXX Chald. Syr. quicumque. Si aliud ab Hebr. legebant, quod minime necesse est supponere, potius legerunt כִּי, ortum ex repetitione duarum ultimarum litterarum vocis בִּינָךְ (Then.), quod sensu quicumque in libris Samuelis nullibi adhibetur, etenim 18, 12 praefendum est כִּי לֵי, et 20, 11 habetur אֲשֶׁר בִּי. — Hebr. qui locutus fuerit ad te est quasi hyperbole: quicumque locutus fuerit, non dico contra te, sed vel solum ad te, de isto negotio, illum addae etc.

v. 11 « Quae ait: Recordetur rex Domini Dei sui, ut non multiplicentur proximi sanguinis ad ulciscendum, et nequaquam interficiant filium meum ». « Recordatio hic pro iuramento posita est » (Ps. Hier.). « Recordari Dei h. l. idem videtur esse, quod iurare; quod David ipse docuit, qui statim obsecutus Thecutidis precibus iusiurandum adhibuit » (Sanct.). « Vult (mulier) regem promissionem suam iureiurando confirmare, quasi dicat: Si interdixeris uni tantum, statim emerget alius, qui filium meum occidat; ita eris causa, quod ultores sanguinis effusi existant multi » (Vabl.). — Eundem quem Hebr. textum legebat Vulg.; eundem Syr., nisi quod pro לֵשׂוֹנָה legebat שֵׁחַר; in quo a LXX deseritur, qui rursus כִּי בְהַרְבִּיתָ ignorabant; Chald. paraphrasi rem non explicat, sed confundit. Omnibus attentis textus Hebr. genuinus habendus est. Sensus est: Ne multiplicentur numero ultores sanguinis ad destruendum, et sic tandem exterminent filium meum. Adduci (v. 10) ultor potest, quando est unicus; si plures sint, dum unus adducitur, alter ferit, cf. Sanct., Mar. « Qui ait: Vivit Dominus, quia non cadet de capillis filii tui super terram ». Opiatum tandem mulier nacta est iusiurandum, cuius efficaciam vide 12, 5 sqq. Fateor equidem, parabolam ab hac muliere prolatam longe minus efficacem mihi videri illa, quam protulit Nathan, qua illico rex ad iusiurandum praestandum motus est: defectus is est mulieris, non scripturae. v. 12 « Dixit ergo mulier: Loquatur ancilla tua ad dominum meum regem verbum. Et ait: Loquere ». Parabolam applicare aggreditur mulier. v. 13 « Dixitque mulier: Quare cogitasti huiusmodi rem contra populum Dei, et locutus est », i. e. cogitavit, « rex verbum istud, ut peccet et non reducat eiecium suum? » Consilium non revocandi eieci sui, Absalomis, ipsum est illud scelus contra populum Dei admissum, et a muliere aequiparatur letalibus v. 7 cognatorum insidiis. Cernit hic Amama argumentum quoddam ab eventu turpi: « quasi dicat: Rex in simili causa dissimilem iam tulit sententiam; eo ipso se quasi reum peregit, dum perseverat in proposito non revocandi expulsum ». Ea revocatio ex mente mulieris et loabi populo Dei est ne-

cessaria, quod Absalom nunc sit actate maximus haeresque regni naturalis. Recte enim ex absoluto scripturae post Annonis necem de Cheleab, altero Davidis filio 3, 3, silentio concludimus, Cheleab eo tempore non iam fuisse superstitem, ideoque Absalom fuisse natu maximum. « Denique multorum ad se studia atque animos, qua erat morum suavitate, allexerat Absalom, qui illius causa arma libenter sumerent, sicut fecere postea in causa, quae nullam habere videbatur honestatis speciem » (Sanct.). — כַּאֲשֶׁר (Vulg. ut peccet) secundum diversam punctuationem verti potest, aut tamquam reus (Chald. Syr.), aut quasi delictum (LXX Symm.), quod alterum fortasse ob parallelismum cum בִּינָתָא erit praefendum. v. 14 « Omnes morimur, et quasi aquae dilabimur in terram, quae non revertuntur », seu potius, quae effusae colligi nequeunt. « Nostrium vivere longum quoddam et familiare mori est. Ut enim aqua in declivi loco semper labitur, donec se marinis fluctibus infundat, sic etiam ad mortem properat, et cum morte convivit aut etiam commoritur vita mortalium » (Sanct.). Vel pluviae aqua intelligi potest (Lap.), non tamen debet. Generatim exprimitur brevis et miseria vitae humanae, cuius consideratio utique ad abdicandam vindictam impellit: cur persequatur homo reum, brevi naturae debitum solutorum?

Aliter Theodoret: « Non potes illum (Annonem) a mortuis excitare: cur studes hunc quoque interimere, ut vivas orbatus duobus? » Malv.: « Oportet te statim, o rex, parere Absalomi et providere de successore, ne mors te praecipuet, ac relinquo regnum civilibus bellis obnoxium ». Cler.: « Absalom posset mori in exilio; quodsi contingeret, rex cum nunquam esset vivum conspecturus; itaque satius multo foret, si quam primum ab exilio revocaretur. Infirma est ratiocinatio, et qua quodvis scelus potuisset excusari ». Infirma omnino, ad Clerici tota, non Thecutidis. Ratio, cur hi aliique interpretes argumenti vim non perspexerint, est quia nimis accurate et profunde hanc verbosam mulierem supponebant esse locutam. Ipsa in exordio adhuc sermonis versatur: cf. v. 13 « Nunc igitur veni, ut loquar... Loquar ad regem »; v. 17 « dicat ergo ancilla tua »; quod exordium sapiens rex v. 18 interiecta interrogatione truncavit. Indicat mulier motiva quaedam introductoria et magis indeterminata, et quidem his verbis breviter et miseriam vitae humanae universim spectatae.

« Nec vult Deus perire animam, sed retractat cogitans, ne penitus pereat qui abiectus est ». Alterum habes mulieris motivum introductorium: Dei in abiectos misericordia commendatur tamquam exemplar humanae misericordiae (Ps. Hier.). Deus non vult perire animam, i. e. vitam, immediate post commissum scelus, sed retexit consiliorum suorum texturam, ne etc. — Facile in Davide hoc argumentum excitavit memoriam misericordiae, sibi a Deo post Uriae necem adhibita; « cum duas protulit oculos in testimonium poenitentis animi » (Sanct.); ad

eam tamen necem mulier, quod sentit *Castalio*, alludere minime intendebat, haud quippe tutum ad regum alludere scelera. — *Chald.*, elohim interpretatus iudicem humanum, textum mire torsit. Peius *Cler.* interpretatur principem : « Annon princeps ignoscere potest alicui, et excogitare rationem, ne exulem a se depellat? » Languidissimum sane argumentum, cui facile opposuisset David, a posse ad esse non valere illationem. — Negationem initio sententiae omittit *LXX*, sed si legas ad modum interrogationis, manet idem sensus. — *Hebr.* ne abiiciatur abiectus : abiectus h. l. non intelligitur idem, qui v. 13 eiectus dicebatur, sc. Absalom, sed omnes abiecti et miseri universim. Apposite omnino supplevit *Vulg.* vocem *penitus*, unde solvitur *Wellh.* obiectio, non abiecti iam abiectum; potest linum fumigans exstingui. — Pulchre argumentum amplificat *Duguet* : « Quare, o rex piissime et religiosissime, non imitaris Dei bonitatem, qui, utvis sollicitus sit suarum legum conservandarum scelerumque multandorum, tamen tanta patientia maximos peccatores sustinet? qui, ne accelerata vindicta ineluctabiliter perdat, vivere sinit et tempus poenitentiae concedit? Nonne, quod opportunis per terram Israel spatibus civitates refugii distribuerit, eum sanguini velle parcere comprobatur? Qui, quando sceleratos ab aspectu arcae et publici cultus solemnibus exulare iubet, tempus tamen definit, quo absoluti exilio restituantur patriae civiumque iuribus ».

v. 13 « Nunc igitur veni, ut loquar ad dominum meum regem verbum hoc, praesente populo ». Ita *Vulg.* *LXX*, quod exponit *Sanct.* : ut testes regii iuramenti haberem multos. Ioab certe aderat, et sine dubio etiam alii. Sed *Hebr.* *Chald.* *Syr.* legunt : quoniam timere me fecit populus. Quem *Cler.* intelligit cognatos, cum supponat mulierem relabi in fictitiam illam narrationem periclitantis filii : sed num cognati apte vocantur populus? Hinc *Vatabl.* interpretatur ipsum populum, « qui dicebant, si rem aperte » et sine filiorum parabola, « tibi declararem, fore ut excaresceres ». Sed num verisimile est, mulierem, antequam ad regem ingrederetur, cum populo deliberationem aliquam instituisse? Praeplacet « verbum hoc » cum *Calm.* interpretari parabolam filiorum : Parabolam tibi, o rex, proposui, verebar enim populi tibi circumfusi coronam.

« Et dixit », cogitavit apud se (*Malv.*), « ancilla tua : Loquar ad regem, si quomodo faciat rex verbum ancillae suae », — recte pergit *LXX* et audiatur rex, ut liberet etc. ; est enim v. 16 continuatio praecedentis sententiae — v. 16 « et audivit rex, ut liberaret ancillam suam de manu omnium, qui volebant de haereditate Dei delere me et filium meum simul ». Haereditas Dei proxime intelligitur gens electa, mediate eiusdem possessiones. Exponit igitur mulier satis verbose, adactam se

esse verecundia adstantium et regiae clementiae fiducia ad regem parabola alloquendum ; simul tamen astute repetit, quam rex iuramento iam coram testibus sanciverat incolumitatis filii promissionem, ut intelligat rex, concedi oportere veritati, quod parabola iam fuerit concessum (*Duguet*). v. 17 « Dicat ergo ancilla tua, ut fiat verbum domini mei regis sicut sacrificium ». Rectius : Dixit ergo, sermonem absolvit ancilla tua, et fiat etc. Soli *LXX* Dixit mulier, ut verba non sint pars praecedentis orationis : sed praestat reliquorum lectio. Concluditurque orationem vel potius orationis exordium mulier appreciatione et commendatione regiae sapientiae et divinae assistentiae. Sed *Hebr.* *Chald.* pro כְּהָרָה punctabant כְּהָרָה : ergo verbum regis sit in requiem, praestet pacem et veniam Absalomi, vel nobis pro Absalom supplicantibus (*Duguet*). Cum mulier omnino supponat, hanc pacificam solutionem esse unice veram et rectam, ideo eius obtinendae spem confirmat celebrata regis sapientia Deique providentia : « Sicut enim angelus Dei, sic est dominus meus rex, ut nec benedictione nec maledictione moveatur, unde et Dominus Deus tuus est tecum ». Reliqui simpliciter ut audiat bonum et malum ei, cum audiendi verbum etiam adhibeatur ad significandam intellectionem rerum auditu perceptarum (cf. Gen. 11, 7; 42, 23; et h. l. v. 20), ut discernat bonum et malum. His tertium comparationis inter regem et angelum circumscribitur. — Unde addit *Vulg.* exprimens, uti videtur, speciale Dei auxilium consequi regis sapientiam eiusque intuitu dari ; dum reliqui, solam copulam legentes, illa duo coordinant, ut propter duplicem rationem regiae sapientiae et divini luminis mulier confidat petita concessum iri.

v. 18 « Et respondens rex, dixit ad mulierem : Ne abscondas a me verbum, quod te interrogo ». כִּי sine articulo, ergo « ne verbum quidem me celaveris » (*Wellh.*). « Dixitque ei mulier : Loquere domine mi rex ». v. 19 « Et ait rex : Numquid manus Ioab tecum est in omnibus istis? » Ex qua interrogatione patet, Ioabum iam prius Absalomis partes sustinuisse. Emortuo sc. Amnon vir ambitiosus eum, qui nunc natu maximus esset, conciliare sibi studuerat ; uti postea Adoniam. « Respondit mulier, et ait : Per salutem animae tuae, domine mi rex, nec ad sinistram, nec ad dexteram est ex omnibus his, quae locutus est dominus meus rex ». Versiones recte intellexerunt, וְשֵׁן poni pro וְשֵׁי est. Subiectum sententiae non est mulier (si deflexi, *Syr.*) ; sed, si deflectendi vocem claritatis gratia addi libeat, vertendum est cum *Chald.* : si est deflexio. Verbotenus : Si est aliquid sive ad sinistram sive ad dexteram omnium, quae etc. Et sensus est vel : Profecto, non est quidquam praeter illud, quod intelligit rex ; rex cuncta perspicit nec quidquam celari potest (*Sanct.*) ; « rem ipsam attigisti, nihil aberrans huc aut illuc »

(Sa). Vel : Profecto, non est quidquam praeter illud, quod iubet rex; non est possibilis evasio regii mandati, unde neque est timendum, me quidquam fore celaturam (Calm.). « Servus enim tuus Iob ipse praecipit mihi, et ipse posuit in os ancillae tuae omnia verba haec ». v. 20 « Ut verterem figuram sermonis huius, servus tuus Iob praecipit istud ». *Symm. ad circiuducendam prosopopeam sermonis huius.* Cum quo interpretes generatim intelligunt figuratam seu parabolicam adhibiti sermonis formam : Iob praecipit mihi, ut uterer parabola. *Vatabl.* censet, יבִיחֵי intelligi posse non sermonem mulieris, sed quod agitur negotium; ergo « ut mutarem conditionem negotii », ut Absalomi veniam impetrarem. « Tu autem, domine mi rex, sapiens es, sicut habet sapientiam angelus Dei, ut intelligas omnia super terram ». v. 21 « Et ait rex ad Iob : Ecce placatus feci verbum tuum; vade ergo, et revoca puerum Absalom ». LXX Syr. legebant כִּפְּרִי, quod *Vulg.* in forma כִּפָּר (cf. Est. 8, 3) vertit placatus. Sensus est : Ecce feci secundum verbum tuum. Praeteritum exprimit, rem firmiter esse decretam. v. 22 « Cadensque Iob super faciem suam in terram, adoravit et benedixit regi; et dixit Iob : Hodie intellexit servus tuus, quia inveni gratiam in oculis tuis, domine mi rex : fecisti enim sermonem servi tui ». v. 23 « Surrexit ergo Iob et abiit in Gessor, et adduxit Absalom in Ierusalem ». Putabat Iob, se nunc tandem in plenam cum rege gratiam rediisse, cuius argumentum ipsi erat tanti momenti concessa petitio. Prius variis usus fuerat artibus (12, 28; 14, 2), ex quibus colligere licet, cum de regis gratia necdum fuisse certum. v. 24 « Dixit autem rex : Revertatur in domum suam, et faciem meam non videat. Reversus est itaque Absalom in domum suam, et faciem regis non vidit ». Remanserantne intacta domus et bona Absalom? Crediderim propter uxorem et filios : sed tum vix intenderat David exilium perpetuum. — Ab aula Absalom excluditur. « Quod factum est a Davide, ut ferox Absalomis ingenium contineret in officio, utque ex poena diuturniore admissi criminis gravitatem agnosceret » (Menoeh.). « Prudenter », inquit *Sanct.*, « se h. l. gessit David; sic enim voluit Iob et populi votis satisfacere, ut tamen non videretur iustitiae et humanitatis immemor ». E contra queritur *Then.*, imperfectam hanc veniam obfuisse Absalomi, non profuisse. Iuste utique agebat David, maxime qui in Amnonem lenitate deliquisset; potuit tamen iusta et prudens punitio Absalomi, ob insitam vafritiem, occasio esse gravioris sceleris. v. 25 « Porro sicut Absalom vir non erat pulcher in omni Israel, et decorus nimis »; — *Hebr.* et versiones habent *laudabilis nimis* : ponit causam pro effectu *Vulg.* — « a vestigio pedis usque ad verticem non erat in eo ulla macula », i. e. defectus. v. 26 « Et quando tondebat capillum, semel autem in anno tondebatur, quia gravabat

cum caesaries, ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico ».

Semel in anno, Syr. ab anno ad annum. Expressio כִּכְּךָ יָרִים לְיָמִים non est identica cum expressionibus Gen. 8, 6; 16, 3; 2 Par. 18, 2, videturque significare a fine anni ad annum, seu *quatannis in fine anni*. Nota, certum non raro tempus publica superstitione tondeudis assignari capillis. *Ios.*, uti saepe, rem exaggerat : « aegre octo diebus tondebatur ». — *Pondera publico. Hebr. lapide, i. e. pondere regis.* Ex hoc nomine aliqui concludunt intelligi pondus a pondere sanctuarii (Ex. 30, 13; Lev. 27, 25; 1 Par. 23, 29) distinctum; fuisseque illud aut pondus aliquod hebr., a pondere sanctuarii diversum, aut pondus regis magni, i. e. babilonicum (Calm.). Ex qua tamen altera hypothesi perperam post *Le Pelletier* (apud *Calm.*) inferunt *Then.*, *Welh.*, nostrum versum scriptum esse post exilium; etenim antiquissimum erat Babiloniorum commercium, et consequenter babiloniorum pondus per universum orientem usus. Sed hodie pondus regis idem esse statuitur, quod sanctuarii. Unde causerunt multi, impossibile videri unius hominis comam ad ducentorum siclorum pondus excrescere, i. e. 3274 gramm.; unde *Mar.* antiquissimum quemdam, quippe qui in omnes versiones transierit, suspicatur errorem, dum *Lap.* audacter negat, hoc pondus Absalomem gravasse, « quia haec coma erat capiti eius connaturalis, unde facile ab anima capitis sustentabatur ». Respondens, in textu non agi de pondere comae, sed de pretio, quod utique argenti pondere determinabatur (*Sanct.*, *Tir.*). Neque intrinsecus comae valor aequabat ducentos siclos seu 9375 fr., neque comae tum vulgo vendi consueverant, sed tantum pro illa solvebant principis adulatores.

v. 27 « Nati sunt autem Absalom filii tres et filia una, nomine Thamar, elegantis formae ». v. 28 « Mansitque Absalom in Ierusalem duobus annis, et faciem regis non vidit ». Sicut recensebatur 3, 2 sqq. familia David in Hebron imperantis, 3, 13 sqq. familia eiusdem Hierosolymis regnantis, 4, 2. 4 familia Isoboth, 8, 16 sqq. aula Davidis primum perfecte constituta, 20, 23 sqq. eadem post Absalomi cladem restituta : ita h. l., quo Absalom iam iam est ad breve interregnum elevandus, recensetur eiusdem familia.

Filiorum nomina non traduntur, vel quod iuniores adhuc (cf. 18, 18) neque illo praecelaro facinore peracto mortui sint (*Sanct.*), vel quod a Salomone ab omnibus officiis et honoribus exclusi, obscuram egerint vitam. Nomen filia videtur esse naeta, cum ob formas elegantiam palmam aemulantis, tum ob memoriam dilectae atque stupratae sororis (*Sanct.*). Imvero 3 Reg. 15, 2. 10 et 2 Par. 11, 21 sq. uxor Roboam et mater Abiae vocatur Maacha, filia Absalom; huncque intelligi Davidis filium rebellem, patet 2 Par. 11, 18. ubi docemur uxores principales Roboam omnes ex regia stirpe fuisse assumptas. Eadem uxor 2 Par. 13, 2 vocatur, mendose uti videtur, Michaila, filia Uriel de Gabaa. Iam, quod Thamar attinet et Maacham, variae praesto sunt solutiones. Prima tenet, utrumque nomen eiusdem mulieris fuisse proprium (*Sanct.*); altera, fuisse mulieres diversas (*Calm.*). Sed cur tunc h. l. non recenseatur Maacha? Probabilius, quod tempore narrationis cap. 14 nondum fuerit nata; accedit ratio altera probabilis, quod fuerit filia Absalomi ex una concubinarum Davidis

(16, 22). Et haec solutio omnino praeplicet. Quod LXX h. l. addunt: « et facta est uxor Roboam filio Salomonis, et peperit ei Abiam », certissime est interpolatum.

Tandem Absalom ad aulam quoque iterum admittitur. v. 29 « *Misi itaque ad Ioab, ut mitteret eum ad regem; qui noluit venire ad eum* ». « Peritus aulicus postulata sua omnia considerat, neque ad rem tentandam nisi de eventu securus accedit » (*Calm.*). Mittendus ad regem Ioab, cf. v. 32. « *Cumque secundo misisset et ille noluisset venire ad eum* », v. 30 « *dixit servis suis: Scitis agrum Ioab iuxta agrum meum, habentem messem hordei: ite igitur, et succendite eum igni. Succenderunt ergo servi Absalom segetem igni* ». Sequens pars versus ex LXX in *Vulg.* penetravit (*Verc.*). (« *Et venientes servi Ioab, scissis vestibus suis, dixerunt: Succenderunt servi Absalom partem agri igni* ».) v. 31 « *Stravitque Ioab et venit ad Absalom in domum eius, et dixit: Quare succenderunt servi tui segetem meam igni?* » Hinc infert *Clair*, Absalom tum non licuisse domo sua excedere. v. 32 « *Et respondit Absalom ad Ioab: Misi ad te obsecrans, ut venires ad me, et mitterem te ad regem, et diceres ei: Quare veni de Gessur? melius mihi erat tibi esse. Obsecro ergo, ut videam faciem regis: quodsi memor est iniquitatis meae, interficiat me* ». Hebr. quodsi est in me iniquitas: intellige, iniquitas praeter illam facto revocationis iam condonata; vel absolutè: malo mori quam venia frui, qua patris aspectu excludar. v. 33 « *Ingressus itaque Ioab ad regem, nuntiavit ei omnia, vocatusque est Absalom, et intravit ad regem, et adoravit super faciem terrae coram eo, osculatusque est rex Absalom* ».

b. Interitus Absalom 2 Reg. 15, 1-20, 26.

Absalome patri reconciliato, omnia videbantur composita; regem interim angebat timor, ne « malum de domo sua » (12, 11) forte nondum cepisset finem, ne forte « gladius » (12, 10) nondum reductus esset in vaginam. Quanam interim Absalom mente volvebat consilia? Annon licentiosus fuerat, violentus, incurius. Absalom sui compos, astutus, ambitiosus. Sororem paucis silere iubet, odium biennio dissimulat, dein fratrem hospitem trucidat. Non sola stimulabatur stupratae sororis iniuria, sed consilium ceperat Ammonis vita simul et regno privandi, lucro sibi versurus sororis opprobrium. Impunitatem promittebat Davidis in Ammonem lenitas; offendit animum patris de filio stupratore interempto diuturnior luctus; exacerbavit dimidiatim concessa venia. Hinc primum nata in patrem aversio, hinc eius regno efficiendi consilium. Petit simulata pietate Absalom, ut ad aulam rursus admittatur, non

quo genitoris fruatur amplexu, sed ut impiae ambitioni efficacius queat indulgere: nec suspicantem osculo prodit.

Narratio commode in duas partes distribuitur, quarum prior Absalomis defectionem, altera eiusdem stragem refert.

Absalomis defectio 2 Reg. 15, 1-16, 14.

ARG. — 15, 1-13 docemur, quomodo Absalom assumpto 15, 1 regio statu, et devinctis sibi v. 2-6 civium animis defectionem praeparaverit, quam tandem v. 7-13 Hebrone compleverit. 15, 14-37 narratur Davidis ex Hierosolymis egressus, simul tandem penes ipsum germina panduntur rerum aliquando feliciter restituendarum: adsunt quippe v. 14-23 probatorum heroum legiones, adsunt cum filiis pontifices 24-30 regem de Absalomi consiliis certiore facturi, adest 31-37 Chusai ipsa Absalomis consilia subversurus. Subnectitur 16, 1-14 factum Miphioseth et Semei. Haec narrationis pars concluditur Absalomis Hierosolymis adventu 15, 37; 16, 13.

Cap. XV v. 1 « *Igitur post haec fecit sibi Absalom currus et equites, et quinquaginta viros, qui praecederent eum* ». Cum 3 Reg. 1, 3 Adonias regnum usurpaturus eundem fastum assumpsit, is certe regis proprius erat, et quidem regis Iudaeorum. Superflue igitur *Then.* coniecit, Absalomem ea in re avum Tholmai esse imitatum. Aliunde assumptus ille fastus in eo videbatur posse excusari, qui regis successor futurus merito praesumeretur.

Cum *Then.* et *Keil* putat *Clair*, באחרי כן, qua distinctum ab אחרי כן, significare brevi post haec, et appellat ad 3, 28; at fundamento caret coniectura. — Hebr. currum, quem singularem versiones interpretatae sunt collective. Potest etiam intelligi unicus currus, regio fastu adornatus equorumque numero conspicius. — Equites: LXX equos; vox hebr. utrumque significat, primario equos. Ambigi igitur potest, intelligentiae equi curribus trahendis, an vehendis viris destinati.

v. 2 « *Et mane consurgens Absalom stabat iuxta introitum portae, et omnem virum, qui habebat negotium, ut veniret ad regis iudicium, vocabat Absalom ad se, et dicebat: De qua civitate es tu? Qui respondens aiebat: Ex una tribu Israel ego sum servus tuus* ». Primo mane adstabat prope portam, qua ad regium intrabatur tribunal. v. 3 « *Respondentibusque ei Absalom: Videntur mihi sermones tui boni et iusti, sed non est, qui te audiat, constitutus a rege* ».

Putat *Then.* agi de officialibus, qui quaelas examinarent, regique examinatas proponerent definiendas. Sed ex Absalomis verbis « Quis me